













1700.

1. Speckman, Isaac Stephano: *De conditione indetiti.*
2. Sumnermannus, Casparus Theobaldus: *De vera ac genuina juris dictiois camelalis indute.*

1702.

Sumnermannus, C. T.: *De praesentia regia.*

1703.

Sumnermannus, Casparus Theobaldus: *De veris matricum  
nium divimentibus causis.*

1705.

Reichhelm, Friedrich Arnold: *De remuneratione juris  
sui tacite.*

1707.

Hansmann, Wolfgang Casparus: *De dominio.*

1710.

H. Albertus, Wilhelmus: *De jure principis circa puerum*  
Hortmann, Walraam Franciscus: *Disputatio ineq. juris dicta.*

1713.

1. Albertus, Wilhelmus: De jure principis circa pueros.
2. Fausse, Abrahamus: De deposito.
3. Tileman, Joannes Antonius: Dissertatio juridica in reg. ad legem LVI. §. mandati.

1719.

1. 6. tit. Otto Sacrasides: De perpetua feminarum Tutela  
dictas Schenck
2. Tileman, Johannes Philippus: Disputatio juridica in reg. ad legem final. Cod. de criet. §. Haderiani tollendo.

1721.

Pontanus, Cordus: Dissertatio juridica in reg.: qua obligationem patris ad eundem filiam bonis propriis instructam assent.

1728.

1. Juring, Vidorius: Quatenus pater in supplementum  
suum locum habeat in causis matrimonialibus.



1728.

1<sup>a</sup> Pugenfecher, Henricus Theodorus: De Puteali Litoris  
oratio. . . , cum ordinariam juris professorio reus  
in regia Vindoburgensi academia solenniter auspica-  
retur.

2. Plessen, Bernardus, l. b. de: De libertate Germanica,  
velut omni in Altra Teutonica Freyheit. Nunc ab  
autore revisa 1729.



*[Faint, illegible handwriting in cursive script, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*





DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE QUÆSTIONE  
QUATENUS JUSJU-  
RANDUM IN SUPPLE-  
MENTUM LOCUM  
HABEAT IN CAUSIS  
MATRIMONIALIBUS,

Quam  
AUSPICE SUMMO NUMINE

Ex  
AUCTORITATE ET DECRETO  
MAGNIFICI ET AMPLISSIMI  
JCTORUM ORDINIS  
In Illustri Regia quæ Duisburgi Clivorum  
est Academia,

Pro Doctoratus Laureâ, & Summis in Utroque Jure  
Privilegiis solenniter obtinendis

*In Auditorio majori ad diem 24. Junii horis consuetis  
Publice tuebitur*

DIDERICUS DÜSING  
BREM A - SAXO.

DUISBURGI AD RHENUM,  
Typis JOHANNIS SAS. Academiae Typographi,  
Anno MDCCXXVIII.

(Diss. XVIII B)



DISSERTATIO JURIS  
IN ACADEMIA  
DE QUESTIONE  
QUAESTIO JURIS  
RANDUM IN SUPPLE  
MENTUM LOCUM  
HABEAT IN CAUSIS  
MATRIMONIALIBUS

Quam  
AUSPICE SUMMO NUMINE

EX  
Auctoritate et Decreto  
MAGNIFICI ET AMPLISSIMI  
FACULTATUM ORDINIS  
In Illustri Regiaque Dussburgi Civitatis  
Academia

Pro Doctorum Laurea, et Summi in Urpoe Juris  
Patriae solenniter obtinenda  
In Publico Conspectu ab hinc et inde  
Publica auctoritate

DIDERICUS DÜSTING  
BREMIA - 1770

DUSSBURGI AD KNEVELS  
Typis Johannis Sae, Academiæ Typographi  
Anno MDCCXXVII





INCLYTÆ  
S. R. G. IMP. LIBERÆ  
REIPUBLICÆ BREMENSIS  
SENATUI SPLENDIDISSIMO  
VIRIS

ILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS,  
EXCELLENTISSIMIS, NOBILISSIMIS,  
AMPLISSIMIS, GRAVISSIMIS,  
CONSULTISSIMIS,

DN. CONSULIBUS,  
DN. SYNDICIS,  
DN. SENATORIBUS,  
PATRIÆ PATRIBUS  
PRUDENTISSIMIS



DOMINIS AC MÆCE-  
NATIBUS

SUIS  
ÆTERNO OBSEQUIO  
PROSEQUENDIS  
ET INTER EOS

PARENTI SUO

OMNI FILIALI REVERENTIA  
AD CINERES USQUE COLENDO.

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM


SACRAM FACIT  
ET ILLUSTRIS EORUM NOMINI

DR. SENATORIBUS

Submissa veneratione  
inferibit

DIDERICUS DÜSING.





Q. D. B. V.  
CAPUT I.

§. I.



Um ad materiæ hujus practicæ tractationem nos accingimus, & quæstionem illam, *Quatenus Juramentum suppletorium in causis matrimonialibus locum inveniat* (quam PANORMITANUS ad cap. 34. X. de jurej. jam suo ævo non absque causâ difficilem pronunciavit) penitus inspicere, accuratius investigare,

& plenius decidere volumus, operæ pretium erit, nonnulla generaliora de Juramento hoc in supplementum & de causis matrimonialibus præmittere; non ut omnia illa, quæ de his in medium adferri possunt, recenseamus, id enim nec limites dissertationis, quibus circumscripti sumus, permittunt, nec gloriosum ducimus post tot Homeros Iliada canere; sed eum tantum in finem, ut facilior materiæ nostræ via muniatur, major decisioni hujus quæstionis lux accendatur.

§. II.

Juramentum hoc definiente STRUVIO *Exerc. 17. th. 42.* est, quod causâ cognita Judex etiam non rogatus imponit ei, qui semiplene probavit, ut per id perfecta fiat

A

pro-



probatio, & causa dubia decidatur. *l. 3. C. de Reb. cred. l. 31. ff. de Jurejur. cap. fin. X. de Jurejur.* in his enim Juris textibus primariam hujus Jurisjurandi sedem agnoscimus. Licet autem illorum sententiæ refragari nolimus, qui *nomen* hujus Juramenti in Jure Civili proditum esse, aut vocem *semiplenæ* probationis occurrere in ejus legibus negant, tamen nec possumus etiam facere cum FABRO *de Error. Pragm. Dec. 19. Error. 1. & in Cod. Sabaud. lib. 4. Tit. 1. Def. 4. n. 5.* qui hujus Jurisjurandi incunabula inveteratis Pragmaticorum erroribus adseribit, cum probatio plena & legitima in Jure requiratur per *l. 4. & l. 14. C. de Probat. & semiplena probatio contradictionem in adjecto implicet*; quemadmodum nec adstipulari possumus WISENBACHIO *ad ff. Disp. 24. n. 24. & Disp. 43. ib. 3.* qui una cum DONELLO *lib. 24. cap. 19.* quasi commentitiam hanc semiplenam probationem impugnant. Horum enim argumenta plena manu refutavit Amicus noster integerrimus, Consultissimus J. U. D. BERNH. ZEPPER *in Diff. De Vi & officac. Jur. Supplet. §. 20. & seqq.* jungatur Excellentissimus BOEHMER *in Jur. Eccles. lib. 2. Tit. 24. §. 69. & 70.* Et nobis, hanc rem non nisi incidenter tractantibus, sufficere potest, hanc probationem semiplenam, non tantum Jure Civili fundatam, Communi Doctorum calculo receptam, & plurimis Statutis Provincialibus probatam esse, prout nec ipse WISENBACHIUS *cit. n. 24.* diffitetur, & NÆVIUS *de Juram. P. 3. cap. XI. §. 7.* docet; sed etiam eam publicis Imperii nostri Legibus approbatam reperiri. Vid. *Const. Crim. Car. V. art. 23. ibi Eine halbe Beweysung & art. 30. von einer halben Beweysung.*

## §. III.

Quamvis autem ultro concedamus hoc jusjurandum utpote remedium aliquod subsidiarium atque extraordinarium,



rium, magno intervallo distare abs illo Juramento Judiciali, quod pars parti ultro defert, prout differentias illas pluribus exequitur Perillustr. Dn. de COCCEJI in *Jur. Controv. lib. 12. Tit. 2. Quest. 42.* & MULLER ad *Struv. Ex. 17. th. 40.* tamen nihil obstat, quo minus & sub nomine Juramenti *Necessarii* & *Judicialis* certo respectu venire queat. *Necessarium* enim vocatur à BEUSTIO, MENCHIO, SETSERO, quod *necessitas* id invenerit, siquidem ad illud tum demum devenimus, ubi controversia ita affecta est, ut Judex nescire possit, cujus causam, spreto hoc Juramento, potiozem pronunciare debeat; imo & ea propter, quod Judicem *Oporteat* hoc juramentum alteri deferre *l. 3. ibi oportet c. de reb. cred.* & quod pars, cui id imponitur, non possit illud recusare. Prout pluribus docent, UMMIUS *Disp. 14. ad Proc. Jud. n. 72.* & SCHNEIDEW. ad §. 11. I. *de action. n. 40.* quemadmodum etiam hoc intuitu sub nomine *Necessarii* Juramenti venit in Camera Imperiali, teste GAIL. *lib. 1. Obs. 108.* & in Parlamento Delphinat. teste MARCO *Decis. 454.* *Judiciale* autem à BALDUINO, VULTEJO & aliis penes UMMIUM citatis dicitur, quod abs *Judice* uni partium deferatur, ita ut rectissimè VOETIUS ad *tit. ff. de Jurej. n. 7.* judicet, ad logomachiae classsem illam controversiam esse referendam.

§. IV.

Dum vero dicimus, quod Pars, cui hoc jusjurandum imponitur, illud recusare nequeat, hoc tanquam regulam quandam intellectum volumus; quando enim pars, jurejurando hoc gravata, alias probationes offert, & quidem in continenti liquidas, admittendam illam putamus, cum Perillustri de COCCEJI in *Jur. Controv. Lib. XII. Tit. 2. quest. 45.* Ne Sacrosanctum illud Dei Nomen in vanum sumatur,



dum citra necessitatem juretur. Et quamvis aliàs oblatio ad Juramentum suspicionem inducat, arg. *l. 3. in pr. ff. de Jurejur.* imo ipsum offerentem abs Juramento removeat. MEV. *Conf. Postb. 77. n. 101.* tamen hac probatione existente, non pars saltem, quæ femiplene probavit, juramentum hoc tuto petit, quo defectus probationis suppleatur, nec habet, quod metuat, quasi ideo fides ipsius elevetur, quoniam non nisi prævia aliqua probatione, quæ omnem levitatis suspicionem tollit, hoc juramentum decernitur, sed etiam Judex ex officio, & parte non petente, hoc juramentum proprio motu injungere valet, per *l. 31. verb. Solent enim Judices ff. de Jurejur. l. 3. C. de Reb. Cred. cap. f. §. 1. X. de Jurej.* CARPZOV. *pprud. Forens. P. 1. Const. 23. Def. 1. RICHTER. P. 3. Decis. 108. n. 6. 7. BRUNNEM. ad d. l. 3. C. de Reb. Cred. SETSER. de Juram. lib. 4. cap. XI. in f. HAHN. ad VVesenb. rit. de Jurej. n. 10. STRUV. Ex. 17. th. 40. GAIL. lib. 1. Obs. 108.* ubi Assessores Cameræ in causa quadam gravi Juramentum suppletorium ex officio derulisse testatur. Enim vero si Judicis officio incumbit, ultteriores probationes, si fides ipsi nondum facta est, exigere: si etiam æquitate postulante ad eruendam veritatem, partem in jure interrogare potest: per text. in *l. 9. §. 1. & l. 21. de Interr. in jure fac. Recess. Imper. de anno 1654. §. Diemeil aber it. 41. FELIN. in cap. 20. X. de fide instrum.* quidni, parte quantumvis non petente, Juramentum in supplementum deferre potest? cum cuncta ipsum rimari, & pro habenda veritate, utque ea in aprico ponatur, modis omnibus laborare debeat *Can. judicantem 11. caus. 30. quest. 5. cap. 37. X. de Testib. l. 9. C. de Judic.* Fatemur quidem dissentire hac in re multos magni nominis JCtos, existimantes Judicem non posse ex officio hoc Juramentum deferre, ex quibus allegasse sufficiet



ficiet MENOCH *de arbitr. judic. question. lib. 2. Cent. 5. cas. 404. n. 28.* MASCARD. *de Probat. Vol. 2. Concl. 956. n. 46.* PRUCKMAN. *1. Conf. 10. n. 90.* RICCIUM *in Decif. Collect. 2169. ibique cit.* FABR. & CAPYC. JASON. *in l. 31. ff. de Jurejur. n. 316.* ubi hanc suam sententiam communem esse gloriatur; sed quemadmodum communis omnium ferè in Germania etiam supremorum Judiciorum, ac Collegiorum Juridicorum praxis istam sententiam refellit, ita ad argumenta & rationes dissentientium bene responderet, fulcraque illa subruit BERLICH. *P. 1. Concl. 53. num. 36. & seq.* Imo non potest tantum Judex illud juramentum ex officio deferre, sed & ad hoc tenetur; MEVIUS *P. 3. Dec. 417. & P. 8. Dec. 368.* HAHN. *cit. loco.* Docente id Excellentissimo Jcto Dn. O. P. ZAUNSCHLIFFERO Cognato nostro omni honore & observantia colendo *in Tract. de Offic. Jud. supplet. Part. 2. Concluf. 12. §. 3.* Conf. KLOCK. *Vor. Camer. 43. n. 53.* sive salutaris clausula fuerit adjecta libello, (quemadmodum illud requirit FACHNEUS *P. 3. Conf. 27. n. 7.*) sive illa fuerit omiffa. Quamvis negari quoque nequeat, consultius omnino facere partem, si juramentum hoc sibi deferri petat, casu quo sua probatio pro plena haberi nequeat: *Im fall er wieder verhoffen nicht vollständig Beweisthum geführet hätte / wolle er sich hienit ad Juramentum suppletorium erbotten / und sich solches zu deseriren gebeten haben /* quam cautelam commendat GOSW. ab ESBACH *ad Carpz. P. 1. Conf. 23. def. 1.* Confer. STRYK. *in U. M. lib. 12. Tit. 1. §. 36. & de Cautelis Juram. P. 3. Sect. 3. cap. 6. n. 33.* ubi quod Judex litem suam faciat, petentique ad interesse teneatur, si iusto huic desiderio non detulerit.

§. V.

Semiplena porro quænam sit probatio, & quâ factâ

A 3

unice



unice hoc juramentum locum habet, paucis videbimus. Laborant quidem nonnulli DD. species hujus semiplenæ probationis intra certum numerum redigere, certisque cancellis circumscribere, prout videre est apud STRYKIUM *in Diss. de Semiplena probat. existent. cap. 3. §. 1. & seq.* ubi variorum sententias collegit, & X. species ejus recenset atque examinat, sed plures etiam & esse, & dari posse species, nulli dubitamus; imo cum CARPZOVIO *in Proc. Jur. Saxon. tit. 12. art. 3. n. 11. & seq.* credimus, hujus rei decisionem potissimum ad arbitrium Judicis rejiciendam esse, ita ut huic soli an? & quando semiplene sit probatum, cognoscendi judicandique potestas sit concessa GAIL. *lib. 2. Obs. 94. n. 10.* quod & ipse STRYK. *in cit. Diss. cap. 2. n. 32.* non diffitetur, una cum MEVIO *P. 4. Dec. 155. n. 4.* Cum enim certa & universalis regula, quænam sit semiplena probatio, nec in jure præscripta sit, nec per LL. præscribi queat, quia circumstantiæ causarum & probationum admodum sunt diversæ; Cum etiam illa, quæ certam regulam juris non habent, Judicis arbitrio debeant esse relicta, & hunc solum, prout in *l. 3. §. 1. & l. 21. §. f. ff. de testib.* eleganter dicitur, ex animi sententia oporteat æstimare, quid credendum sit probationibus, & motum animi sui ex argumentis & testimoniis rei aptioribus, & proximioribus confirmare. Cum etiam probatio unice fiat judici, non parti adversæ, cui nunquam satisfieret, licet satis esset probatum *l. f. ff. de testib. l. 19. C. de probat.* ibique PERETZ. *n. 1. 2. MEV. Conf. Posth. 73. n. 53.* nemo non videt, arbitrium & potestatem ejus in hoc maxime sese exserere, imo omnem ferè facere paginam: nemo non quoque videt, quod illud arbitrium non debeat etiam esse merè cerebrinum; non vagum, sed discretum, & tale quod Viro bono conveniat, quodque eliciatur atque



que moveatur per qualitatem probationum vid. Jcti MAR-  
 PURG. *Vol. 4. Conf. 28. n. 90. & Vol. 1. Conf. 15. n. 547.* Il-  
 lud unicum tantum monebimus, quod licet *confessio extra-*  
*judicialis*, non acceptata abs parte adversa, omnium fere  
 Jctorum calculo habeatur pro semiplena tantum proba-  
 tione. Vid. STRYK. *cit. Diff. cap. 4. n. 8.* ignoramus tamen  
 quid in mentem venerit EVERHARDO, quando *Vol. 2.*  
*Conf. 30. n. 20.* cum BALDO, FELINO, DECIO & SO-  
 CINO JUNIORE statuit, quod confessio hæc extraju-  
 dicialis in causis matrimonialibus *plene* probet; Rationem  
 hujus opinionis si roges; respondet, quia in causis spiri-  
 tualibus, & Ecclesiasticis confessio absente parte facta, ple-  
 nissime operatur: Matrimoniales verò causas inter Spiri-  
 tuales & Ecclesiasticas causas referri, neminem ambigere  
 posse, cum in J. Canon. id expressis verbis sanciat, in  
*cap. 16. X. de Off. Jud. deleg.* sed imbecillitatem hujus ratio-  
 cini quilibet facile perspicere poterit, qui modo perpen-  
 det, illud nullo juris textu, nulla ejus ratione fundari, imò  
 quo magis arduæ sunt causæ Spirituales, eo majorem pro-  
 bationem eas desiderare, ut jam non dicamus, quod, ma-  
 trimoniales causas spiritualibus accensere, fermentum sa-  
 pientis Pontificium, cum, Judice Excell. BOEHMERO in *Jur.*  
*Eccles. lib. 2. Tit. 2. §. 24.* nihil spiritualitatis in se contine-  
 ant, sed ad Civiles causas merito sint referendæ, quam-  
 vis etiam EVERHARDI sententia illo casu admitti possit,  
 si *geminata* fuerit confessio. BROUWER *de Jure Connub.*  
*lib. 1. cap. 23. n. 7.* quippe ex qua deliberatus contentis  
 animus melius potest elici, quam si unica vice illa fuerit  
 prolata.

§. VI.

Quemadmodum autem axioma illud agnoscimus, quod  
 regulariter in quavis causa hoc juramentum admittatur.  
 per



per text. in *l. 3. C. de reb. cred.* ibi *In cæteris causis* ibique SALICET. *n. 1. & seq. cap. f. X. de jurejur.* & rationem, quod hoc juramentum sit de genere permissorum; tamen nec fundamenta defunt, & Jctorum nubes adest, & ipsum *cit. cap. f. ibi inspectis personarum & cause circumstantiis:* suadere videtur, ut exceptiones quædam fiant ab hac regula. Privilegiatam enim hanc probationem merito respunt, & ordinariam probationem desiderant omnes causæ arduæ civiles, criminales, famosæ, sive in quibus quis infamia notatur, quæstiones status, sive an quis sit liber an servus? filius, vel legitimè natus vel legitimatus? & quæ aliæ vel præjudicium alterius magnum, vel commodum jurantis insigne concernunt. Diximus *fundamenta* harum exceptionum *non deesse.* Quod enim *civiles arduas* & commodum jurantis insigne concernentes attinet, quis ignorat hominum naturam aded corruptam esse, ut paucissimi sint, qui conscientiæ suæ rationem habeant? quis nescit mortalium multos esse, qui pro exiguo etiam lucro aut commodo, nedum magno, ad jurandum se adduci quocunque modo patiantur, nec dubitent fordido perjurio cœlum fatigare, modo rem queant facere? quem later à plurimis ad præsens magis lucrum respici, quam ad id quod licitum est justumque? In *criminalibus* tanquam in re maxime ardua, ubi de vita & fama hominis agitur, ipsa Jura difertis verbis idoneos testes, apertissima documenta, & probationes luce meridiana clariores requirunt in *l. f. C. de probat. Famosæ* causæ, & quæ maximum alterius præjudicium concernunt, juramentum hoc non admittunt, quia fama hominis omnium rerum pretiosissima est, & planè inæstimabilis, quare rationi naturali contrarium videtur, quod alterius fama, aut fortunæ omnes & felicitas ab alterius juramento dependere debeat. Possemus hæc omnia  
latius



latius deducere, & integra Jctorum plaustra adferre, nisi gratæ animum applicare mallems breuitati, nisi que Ce-  
leberrimi STRYKII, nimirum PATER in *Dissertatione su-  
pra citata de Semiplena probationis existentiâ cap. 5.* & po-  
tissimum FILIUS in *Dissert. de Causis Juramentum supple-  
torium respuentibus*, §. 13. & seqq. luculentam huic materiæ  
facem jam dudum prætulissent, cui lumini scintillas adjun-  
gere velle, nihil aliud esset, quam oleum perdere & operam.

§. VII.

Adjiciuntur his tandem abs JCrīs CAUSÆ MATRI-  
MONIALES, quippe quæ, ut verum fateamur, inter  
causas maximè arduas non agmen claudere, sed potius fa-  
miliam ducere nobis videntur; quæque expressis verbis in  
*cap. f. X. de procur. in oto* arduis accensentur: quasque pro-  
inde, quatenus juramentum suppletorium in illis locum in-  
ueniat, paulo curatius examinare jam nobis est propositum.

§. VIII.

Per CAUSAS autem MATRIMONIALES, ( ut fi-  
nem huic capiti imponamus ) in nostra Dissertatione in-  
telligimus omnes illas, ubi non tantum de *jure & vinculo*  
ipso, seu *validitate* matrimonii disputatur, sed & ubi de  
*nudo factò*, an matrimonium contractum sit, nec ne? quæ-  
ritur, ad consequenda scilicet ea jura, quæ ex matrimo-  
nio contracto nascuntur, vel, si de legitimis liberorum na-  
talibus agitur, quin & ubi de *sponsalibus* solis agitur, an  
illa intercesserint, nec ne? Horum enim causa etiam inter  
matrimoniales refertur, & matrimonii appellatione spon-  
salia veniunt, prout ex CARD. HOSTIENS. docet  
BERTACHIN. in *Repertor. voc. matrimonium. n. 20.* Per  
quæ tamen hic intelligimus sponsalia illa *proprie dicta*,  
quæ puro & categorico consensu contracta sunt, prout  
definiuntur in *cap. 2. X. de Sponsal.* quæque à Pontificiis

B

quidem



quidem *de futuro*, à nostratibus vero *de presenti* dicuntur, talia enim, quæ illi de *presenti* fingunt, in foris Protestantium prorsus esse incognita, adeoque de his statum controversiæ moveri non posse, rectè judicat Dn. BOEHMER. *in Jure Eccles. lib. 2. tit. 24. §. 60.*

## CAPUT II.

### §. I.

**A**Ntequam nunc ad ipsam quæstionem, quatenus jusjurandum in supplementum in causis matrimonialibus locum habeat nos accingimus, necessitas non admonere tantum, sed & cogere nos videtur, ut paucis ostendamus, quandam inter sponsalia & matrimonium ipsum esse differentiam. CARPZOVIVUS quidem *Decis. 15. n. 9. & in Resp. Elect. lib. 5. tit. 10. Resp. 115. n. 15. 16.* aliique, illam de Jure Divino, Civili & Canonico, in nonnullis volunt agnoscere, sed tamen ratione vinculi eandem statuunt obligationem, ac proinde non magis sponsaliorum, quam matrimonii dissolutionem permittendam esse putant, morus præsertim CARPZ. auctoritate MENTZERI Theologi *ibid.* citati; sed quam inritate genti rerum confusione ad *sponsalia pura & proprie* ita dicta DD. illa applicent jura, quæ Pontificii suis sponsalibus *de presenti* (qualia ut antea monuimus, in sensu juris Pontificii Protestantibus ferè incognita sunt) tribuunt, & asserant talia sponsalia esse matrimonium, adeoque sicuti contra hoc, ita nec contra illa locum esse juramento, jam olim demonstrarunt Viri de Jurisprudencia meritissimi Dn. STRYK. *in tract. de Diss. Sponsal. Sect. 3. §. 33.* & Dn. BOEHMER. *in Jur. Eccles. lib. 2. Tit. 24. §. 62. 63. & lib. 4. Tit.*



*Tit. 1. §. 43. & seq.* ex quo prono quasi fluit alveo, quod à sponsalibus ad matrimonium, & vice versa, invalidum ducatur argumentum; quemadmodum nec à judiciali juramento à parte *delato*, ad suppletorium, quod Judex injungit, legitima sit in omnibus argumentatio, cum in *altero* pars deferens sibi imputare debeat, nec conqueri possit, quæ ultrò alterius fidei rem commisit: *alterum* verò sit odiosum ac periculosum, quippe per quod Judex quis constituitur in propria causa adversario invito, contra *l. 7. ff. de judic. & Tit. C. ne quis in sua causa jud. vel jus dicat.* FAB. in *Cod. lib. 4. tit. 15. def. 11. n. 5.* quæ tamen differentia abs Doctoribus plurimis in hac materia quoque non probè observatur.

§. II.

Dum itaque properamus ad thematis nostri decisionem, distinctim procedamus oportet, & plures quidem quæstiones nobis videntur esse discernendæ: Aut enim agitur *de matrimonio jam contracto*; aut agitur de solis *sponsalibus*. Quod ad matrimonium contractum attinet, aut de ipso contenditur *vinculo*, seu *questione facti*, utrum matrimonium contractum sit, nec ne? aut vero de vinculo hoc *constat*, & ad *rescisionem* ejus, vel *nullitatem* agitur: *illud* variè potest contingere, & vel (1.) in probanda *filiatione*, quando quis se natum ex Titia, jam mortua, asserit, idque indubium est: contendit vero Titiam eo tempore cum Sejo, etiam mortuo, in legitimo vixisse matrimonio: & tunc is, qui dicit se esse filium, vel *est in possessione vel quasi* filiationis, & adversarius ejus non potest admitti ad juramentum suppletorium, sed plenè suam intentionem probare debet; quia lis hæc causam *status*, & maximi præjudicii concernit, & durissimum esset, aliquem adversarii sui juramento censu legitimorum exturbare, &



ad spuriorum gregem rejicere, prout hoc ex supra deductis  
*cap. 1. §. 6.* patet; aut *non est* in illa quasi possessione, sed  
 petit se filium legitimum declarari, & hoc casu, nihil ob-  
 stare videmus, quare ipsi semiplenè probanti, Juramen-  
 tum in supplementum deferri nequeat, cum hoc non tam  
 contra matrimonium, quam in alium finem abs judice de-  
 feratur; & aliàs in factis, præsertim antiquis, illud ad-  
 mittatur super credulitate; imò in rebus difficillimæ hujus  
 probationis jura contenta sint levioribus probationibus,  
 prout videre licet apud CARPZOV. in *Jurisprud. for. P. 1.*  
*Consf. 16. Def. 26.* SICHARD. in *Cod. ad l. 14. de probat.*  
*n. 4. it. ad l. 14. C. de testib. n. 13. 14. it. ad l. 9. C. de Nupr.*  
 BRUNNEM. *ad cit. l. 9. n. 3. & seq.* GRATIANUM.  
*discrpt. for. tom. 4. cap. 754. n. 4. & 5.* JCTOS MAR-  
 PURG. *Vol. 3. Conf. 34. n. 64.* FABRUM in *Cod. l. 4. tit.*  
*14. def. 8. n. 1.* ALCIATUM *Reg. 3. præf. 38.* CRAVET-  
 TAM *Consil. 991. per tot. & Conf. 482. n. 9.* & ALBER.  
 GENTILEM *de Nuptiis lib. 7. cap. 2.* ad quos brevitatis  
 studio Benevolos Lectores remittimus. Et licet CONCILIIUM  
 TRIDENTINUM *Seff. 24.* videatur prohibere,  
 ne in futurum matrimonia debeant probari ex conjecturis  
 & præsumptionibus, quibus antea de Jure communi pro-  
 babantur; tamen ipsi Romano-Catholici illud limitant, si  
 non agitur de matrimonio principaliter, sed solum ad ef-  
 fectum *successionis*, quo casu, & hodie sufficere statuunt,  
 probari matrimonium præsumptivè, præsertim si in pos-  
 sessione filiationis quis existat vid. RICCIUS in *Decis. P.*  
*5. Collect. an. 2079.* Contingere illud potest, (2.) si sponsa  
 post obitum sponsi, se ab eo gravidam esse asseverat; tunc  
 enim eam, licet non habeat testem omni exceptione ma-  
 jorem, qui de copula carnali testetur, sed juris præsum-  
 tionibus tantùm probet, ad jusjurandum in supplemen-  
 tum



tum esse admittendam, statuit HARPREDT. *Vol. 1. Conf. Tubing. 25. à n. 29. usque ad n. 77.* dummodo sit persona honesta, & non corpore quæstum faciat; prout limitat *n. 38.* Accidere hoc potest (3.) in casu, ubi quis accusatus est de commisso *adulterio*; si enim inculpati (sive adulter, sive adultera) negent se esse in legitimo *matrimonio*, vel cum maritata aut adultero rem habuisse, illud matrimonium necessariò, tanquam quæstio præjudicialis, probandum erit; hoc enim non ostenso, crimen adulterii frivole objicitur: Ponamus nunc casum, vel fiscum vel accusatorem semiplenè, vel etiam plusquam semiplenè probare matrimonium, an ad jusjurandum in supplementum admittendus erit? Negamus hoc cum PACIANO *de Probat. lib. 2. cap. 3. n. 11.* & SERAPHINO DE SERAPH. *Priv. 33. in addit. n. 102. & 103.* atque requirimus plenam *matrimonii* probationem, quæ ex doctrinâ BALDI *ad auth. si testis productus C. de testib.* etiam illo casu per testes omni exceptione majores perfici debet, quando ex *formâ statuti* aliàs in probando adulterio admittuntur testes *infames*, quod tamen suo jam loco relinquimus.

§. III.

Si verò de vinculo matrimoniali quidem *constat* & ad *rescissionem* ejus agatur, nullum planè locum huic jurijurando in supplementum concedimus; Non dissolvitur enim illud nisi ex delicto, sive adulterio, sive malitiosâ defertione, sive ex aliis criminibus æque gravibus, & quia hæc delicta luce meridiana clariores probationes requirunt; quia infamia delinquenti irrogatur; quia parti inculpatæ maximum præjudicium & irreparabile damnum inferitur; ex *supra cap. 1. §. 6.* demonstratis, facile colligere licet, locum huic jurijurando non posse concedi. Idem putamus, si *civiliter* ex *presumptio* adulterio ad thori dissolutionem.



nem agatur: licet enim facilius ad divortium Judex Ecclesiasticus procedere possit, quam Judex criminalis ad poenam ordinariam, quæ supponit adulterium plenè fuisse consummatum, quod nequidem ad effectum divortii opus est, sed sufficit ad hunc effectum, nudum cum nuda in eodem lecto repertum fuisse *cap. 12. X. de præsumpt.* Dn. BOEHMER. *in Jur. Eccles. lib. 2. Tit. 24. §. 67.* tamen & hoc casu de gravissimo partis inculpatæ præjudicio agitur, ac proinde actoris atque mariti, nimium forsan suspicacis, zelotypi & amentis quasi atque furibundi jurejurando hanc rem committere inconsultum planè atque illicitum. Accedit hic & applicari potest, ille toties à JCTis in scriptis suis matrimonialibus decantatus *Favor* pro matrimonio, cui tot effectus tam veri quam falsi adscribuntur: Verus est; quod, quando de nuptiis non dissolvendis agitur, favore matrimonii, imperfectæ probationes, puta testimonia de famâ, juramenta & consimiles probationum species admittantur *Gloss. in cap. fin. §. ult. X. de jurejur.* GAIL. *lib. 2. Obs. 94. n. 12.* MASCARD. *de Probat. Vol. 2. Conc. 1035. n. 29.* Verus est; quod pro matrimonio in dubio præsumatur MARPURG. *JCTL. Vol. 1. Conf. 15. n. 112.* ibique cit. DECIUS & GRATUS. *PARIS. Conf. 53. n. 3. l. 1.* MEV. *P. 2. Dec. 306. n. 2.* & PHILIPP. *in usu practico l. lib. 1. Eccl. 47. n. 5. ibique alleg.* & in dubio pro eo sit pronuntiandum, prout pluribus textibus juris Canonici atque auctoritatibus firmant JCTI MARPURG. *cit. Conf. 15. n. 119.* ceu re admodum favorabili, cum publice interfit matrimonii frequentia, quo Civitas liberis hominibus repletur & augetur, arg. *l. 1. ff. solut. matrim.* HARPRECHT. *ad Tit. 1. lib. 4. Instit. n. 99.* MEV. *cit. loc. n. 1.* HEIG. *P. 1. quest. 13. n. 37.* Verus est; quod ejus favore interdum etiam semiplena probatio sufficiat. CARPZOV. *in*  
*prud.*



*prud. Eccles. lib. 3. Def. 50. n. 9. & 20. PHILIPPI cit. loco n. 6. Verus est; quod ejus intuitu non semel à communibus juris regulis recedatur. Cap. fin. X. de sent. & re judic. cap. 3. X. qui matrimonium accus. post. cap. 6. X. de condit. appof. Dubitamus tamen an verus sit hujus favoris effectus, quod opinio singularis alicujus Doctoris, matrimonium sustinentis, præferenda sit plurium sententiæ, imo communi opinioni matrimonium impugnantium, nisi hæc aperto nitatur textu. FELIN. in rubr. de Sponsal. n. 6. §. 9. MENOCH. Pras. 17. lib. 2. n. 30. & plures alii citati ap. MARP. d. Conf. 15. n. 121. & præsertim n. 339. Quis enim nescit vix dari opinionem, quæ non studio singularitatis, studio novitatis suos defensores ac Patronos nanciscatur, licet ridicula, licet absurda sit? Quis ignorat Consilia partibus litigantibus abs JCTis data, aliquando magis concedi amore expetentis, quam amore veritatis & justitiæ, ut loquitur COTHMAN. Vol. 3. Conf. 38. n. 338. quibus postmodum Juris publici factis, si illa potestas, vel potius Tyrannis, assignatur, ut omnium sententiis atque rationibus prævalere debeant, quid tandem de Jurisprudencia nostra fiet? Non extricant JCTI MARP. cit. l. n. 121. rem, sed potius intricant, quando Doctoris *Authentici* opinionem requirunt, prius enim definiendum esset, quisnam Doctor pro *Authentico* habendus sit, & quis superbum illud elogium mereatur? Quemadmodum nec illorum limitatio seq. n. 339. quod illud locum habeat, quando illa opinio esset vera & non possit convinci rationibus; secus quando esset falsa: rem conficere, sed potius thesin plane destruere videtur. Veritati enim semper litare debemus, sive Doctoris testimonio suffulta sit, sive non.*

§. IV.

Aut vero agitur (videatur supra §. 2. in pr.) *de solis Sponsali-*



*sponsalibus*; & unice quæstio est de *promissione matrimonii*: & tunc duas quæstiones iterum separare solent DD. aut enim desertur *pro sponsalibus*; aut verò *contra sponsalia*. Hoc casu, si contra sponsalia, aut de matrimonio impediendo, ut Jcti loquuntur, à Judice deferatur, omnes unanimes fere ore DD. huic juramento locum esse negant, prout non dissitetur Excell. Dn. BOEHMERUS in *Jur. Eccles. lib. 2. Tit. 24. §. 76.* per ibi cit. BERGER. SETSER. de *juram. lib. 4. c. 14. n. 12.* STRYK. *Dissert. de causis Juram. suppletor. respuentibus §. 18.* ibique citat. BERLICH. CARPZ. SERAPH. DE SERAPH. HEIGIUS, MASCARD. Allegatur pro ea sententia (1.) favor matrimonii, quasi omni modo tantum promovendum esset illud vinculum, quique favor non permittit, ut in ejus præjudicium aliquid fiat. (2.) quod non valeat contra matrimonium jurisjurandi facta *delatio*, ne in potestate partium sit matrimonium per juramentum impedire, & rectè hic regulam applicari, quod initio, est voluntatis, ex post facto fieri necessitatis, & diu deliberandum esse, quod semel sit statuendum: Conjugium enim iniri juxta ordinationem Dei, quæ est, ut duo in carne una ad perpetuam & individuam vitæ consuetudinem evalescant, adeoque actum esse irreligiosum, si quis juratò vinculum illud solvere, & imperfectam probationem jurejurando supplere tenter. *Cap. 34. x. de Jurej.* prout ratiocinatur NÆV. de *Juram. P. 3. cap. XI. §. 12.* ALEX. in *l. 3. n. 16. C. de reb. cred.* CASTRENS. *Conf. 45. n. 3. Vol. 1.* Ergo quoque nec jurejurando in supplementum locum esse. (3.) Quod quemadmodum in criminalibus non desertur juramentum in defectum probationis; ita quoque in causis matrimonialibus illud necessarium juramentum locum habere nequeat, quando sc. juramentum futurum esset contra matrimo-

UIM;



um; prout argumentatur SETSERUS *loc. sup. cit.*

§. V.

Multa tamen sunt, quæ ad illas ipsas rationes possunt regeri, quæque satis evincunt illius sententiæ firmamentum atque robur esse admodum imbecille; *Prime* enim rationi facile satisfieri potest, si dicamus *favorem* illum spectari in matrimonio jam *contracto*, non vero si adhuc sub iudice lis sit, an illud unquam fuerit contractum; quamdiu enim de eo non constat, fictitius ille favor meritò exulare debet, cum ex mente Celeb. STRYKII *in cit. Diss. de causis Juramentum supplet. respuentibus* §. 18. & teste quotidiana experientia, matrimonium tam periculosum ac aleæ plenum sit negotium, ut retrahendi potius essent homines, ne cæco impetu in illud ruant, quam compellendi inviti atque reluctantes: quæ enim concordia in tanta voluntatum alienatione speranda? quod adjutorium mutuum expectandum est, ubi jurgiis atque contentionibus fiunt auspicia? *Secunda* ratio eodem ariete convellitur quod sc. hîc non de juramento contra matrimonium jam consummatum, sed de eo, quod est contra matrimonium adhuc ineundum, sit quæstio. Ut proinde notatu dignissima sunt verba BROUWERI *de jure connub. lib. 1. cap. 23. num. 5.* quando inquit *Ille me sibi addictum habebit, qui existimaverit, multum hac in re à Juris Canonici doctrina mores nostros recessisse.* Etenim gradus duntaxat & via ad nuptias contrahendas hodie nostra sunt sponsalia, etiamsi quoque verbis presentis temporis concepta sint. Nuptie ipse non sunt quas respiciunt saltem futuras. Et post alia. Favendum quidem matrimonio *contracto* est, sed non ita contrahendo: & vix dissolvendus indissolubilis naturâ suâ conjugii nexus, nec in duo discernenda una caro, nisi ob gravissimas rationes. Sed & non facîle, imo nunquam, inviti non juncti

C

602.



conjungendi sunt, nec in unam carnem cogendi, quos diversos & distinctos retinet animorum dissensus, tum propter oneris gravitatem, cum propter inauspicatum matrimonii metum. Ut jam non dicamus, quod à Jurejurando à parte delato ad *suppletorium* infirma, propter rationes *supra* §. 1. allegatas, fiat illatio. Et jurisjurandi etiam *delatio* in sola disputatione de *facto* seu *existentia sponsaliorum* locum habeat, prout evidentissimè demonstravit Excellentissimus BOEHMERUS in *Jure Eccles. lib. 2. Tit. 24. §. 60. & seqq.* Nec etiam quoad *tertiam*, comparatio causarum criminalium cum matrimonialibus hoc casu rite instituitur, quando illud juramentum *contra sponsalia* à Judice deferatur: Optimè enim jam observavit Dn. STRYK. in *diff. supra cit. §. 18.* quod tunc demum causa gravis sit atque ardua, quod tunc demum præjudicium magnum parti adversæ afferat, & causæ criminali comparetur, quando *pro* matrimonio consummando injungitur, cum majus damnum (verba sunt Dni STRYKII) alicui inferatur, si quis ob juramentum cujusdam foeminae illam ducere cogatur, quam si ob suum juramentum absolvatur; illo casu res nunquam in priorem statum restitui potest, hoc casu res ubique manet integra. Quemadmodum etiam ex iisdem rationibus, quibus hodie passim admittitur *juramentum judiciale* contra sponsalia, etiam *suppletorium* admittit, & providi judicis arbitrio, an juramentum illud contra sponsalia injungere velit, relinquendum esse judicat Dn. BOEHMER. *supr. cit. tit. 24. §. 76.*

§. VI.

Licet itaque hic casus rarior forsan erit, quod Reo, sive illi, qui sponsalia negat, hoc jusjurandum deferatur, aliquando tamen etiam hoc contingere potest, quamvis vix alio modo, quam si actor vel actrix sponsalia plenè proba-



probavit, puta per testes duos, aut per solennem scripturam, Reus verò sive Rea exceptionem peremptoriam opponendo & deducendo, reprobationem susceperit, eamque non plene perfecit: Sic ponamus: Reum quidem sponsalia inita non negare, nec negare posse, sed illis exceptionem vis, metus aut dolosæ persuasionis opposuisse, eamque semiplenè probasse, nil obstare eo casu videmus, quin Juramentum hoc locum habere poterit. Licer enim intentio actricis sponsalia esse celebrata vera esse possit, quod etiam testibus, qui actui interfuerunt, illa probavit; tamen itidem verum esse potest, quod Reus vi metuque coactus, aut dolosis persuasionibus inductus fuerit; quod novum plane factum continet, & in quo primariò cardo controversiæ jam consistit. Vid. Excellent. BOEHMER *supra cit. loco. §. 73.*

§. VII.

Aut verò hoc juramentum *pro* sponsalibus defertur, & in varias itidem sententias discedunt Doctores, an huic locus sit, nec ne? Commodissime illas ad IV. Classes referre possumus. PRIMA opinio illorum est, quibus placet nihil definire, sed totam hanc rem arbitrio Judicis committere; in horum numero est MERCKELBAH. apud KLOCKIUM *Tom. 2. Conf. 79. n. 67.* cum pluribus *ibid. citatis.* GAILIUS *lib. 2. obs. 94. n. 11. 12.* & NÆVIUS *cit. tract. de Juramentis P. 3. cap. XI. n. 12.* ubi, postquam varias opiniones hac in re recensuit, tandem vagè concludit, multum prudentiæ Consistoriorum hîc tribuendum esse, prout circumstantiæ exigunt, ne vel libertati, vel innocentia, vel tertio, si ex secuto concubitu infans natus sit, præjudicium aut damnum enascatur; Et nescimus, an non ad eandem classem referendi sint MARPURGENSES JCTI. *Vol. 1. Conf. 15.* postquam enim *n. 343.* defende-



runt, quod in causis matrimonialibus juramentum hoc non deferatur, idque plurimorum Ictorum calculo confirmarunt, qui longa ferie ibidem possunt legi: tandem n. 347. ad arbitrium Judicis, tanquam ad sacram anchoram confugiunt, qui pro sua discretione & prudentia, omnibus circumstantiis utrinque accuratè & exactè ponderatis, judicare debeat, utrum juramentum hoc deferendum sit, nec ne: idque auctoritate ARCHIDIAC. PANORMITANI & ANTHON. DE BUTR. probant: Fundamentum horum Dd. videtur esse situm in illis, quæ supra cap. 1. §. 5. diximus, nimirum arbitrium judicis in definienda probatione, an plena, an semiplena, an vero adhuc minor eâ sit, esse maximum: neque facillè hoc per Leges posse definirî, adeoque hujus dexteritati illud esse permittendum: videatur GAILIUS *supra cit. l. n. 10.*

## §. VIII.

SECUNDA opinio illorum est, qui putant juramentum hoc si pro matrimonio consummando deferatur, similiter locum habere: quando semiplene est probatum; & hujus Patroni existunt Dn. BOEHMERUS in *Jure Eccles. lib. 2. tit. 24. §. 75.* LUDOVICI in *der Einleitung zum Consist. Process. cap. 15. §. 8.* CARPZOV. in *Jurispr. Consist. libr. 3. def. 40.* WISSENB. P. 1. *Disp. 24. n. 27.* De CARPZOVIO adhuc monendum, quod, licet *cit. l. n. 6.* fateatur, se olim contrariam propugnasse sententiam in *Jurispr. Forens. P. 1. Constit. 23. def. 10.* nimirum juramento huic suppletorio nunquam in matrimonialibus locum dari, nec hoc ipsi vitio verti possit, quod opinionem suam mutaverit, cum cuivis meliora edocto hoc sit integrum: tamen illum ipsum vel errasse, vel memoria deceptum fuisse, quod inter præjudicia, quibus novam suam sententiam in *cit. def. 40.* corroborare intendit, etiam sententias  
Côn.



Consistorii supremi & Senatus Appellationum sub n. 18. 19. referat; Cum tamen ex *ejus Respons. Elector. lib. 3. tit. 6. Resp. 55. n. 16.* ubi idem iudicatum in appellationis instantia exhibetur, evidentissimum sit, quod in illo casu singularis planè circumstantia fuerit, quæ utrumque iudicantem, & inferiorem & superiorem ad ferendam ejusmodi sententiam, ex unica illa ratione, impulerit, *quod Reus in Juramentum, ab Actrice imprægnata præstandum, consensisset.* Quo ipso, ( verba sunt CARPZOVII, ) ratio prædicta prohibitionis, satis diluebatur, nec enim nolens volens in matrimonium detruditur, qui sponte in id consentit, licet conditionaliter, sc. si Actrix juraverit. BESOLDUS etiam P. 3. *Conf. Tub. 140. n. 26. & seq.* pro hac sententia quidem allegatur à BRUKNERO & qui hunc incaute refert, atque sequitur LUDOVICI *supra cit. loco.* sed parum accuratè BESOLDUS, vel potius JCTIS TUBINGENSIBUS illam adscribi opinionem, ex ipsa inspectione *cit. loc.* apparet, cum ex hypothesi tantum loquantur, nimirum etiamsi illam sententiam quis tueri velit, quod hoc juramentum in semiplena probatione injungendum sit, tamen in proposito casu nequidem semiplene probatum esse: Imo ipsi dicti JCTI mentem suam clarius explicant P. 6. *Conf. Tubing. 261. n. 27-- 30.* ubi prolixè & ditertis verbis statuant, hoc jusjurandum ne quidem *pro* matrimonio posse deferri, prout infra latius videbimus.

§. IX.

Rationes, quibus hæc sententia stabilitur, recensentur sequentes: 1.) Quod nulla solida ratio adferri queat, quæ hoc jusjurandum excludat, nulla lex appareat, quæ causas ejusmodi sponsaliorum excipiat: in dubio autem *regule* sit standum, quæ illud *in quibusvis causis*, secundum l. 3. C. de reb. cred. admittit. 2.) Non obstare,

C 3

quod



quod dicitur, causam matrimonialem esse arduam & magis præjudicii, ac neminem invitum contra libertatem conjugii in matrimonium fore detrudendum, cum ex ratiocinio CARPZOVII *cit. def. 46.* nunquam deveniatur ad impositionem hujus jurjurandi, nisi adsint indicia & præsumptiones prægnantissimæ, vel, ut apertius dicam, semiplena probatio, quæ effectu destitui non debeat: cui si accedat jusjurandum in supplementum, probationem fieri luce meridiana clariorem. 3.) Quia hoc jusjurandum tendat ad matrimonii consummationem, ac proinde eo facilius decernendum, quam si dissolutio matrimonii contra. Si inde esset meruenda; favorem enim matrimonii illud efflagitare. 4.) Quod etiam in causis criminalibus sat arduis, modo poena capitalis haud veniat infligenda, jusjurandum in supplementum litigantibus deferatur, si præsertim Reus alias non habeat innocentiae suæ probationes. 5.) Hoc jusjurandum eo casu non aliud esse quam purgatorium cum per hoc actrix se liberet ac purget à suspicione mendacii & calumniæ, ne falso quid asseruisse & contra reum affirmasse videatur, ut hoc intuitu juramentum purgationis non ineptè deferatur actori, perinde ut jusjurandum in supplementum quandoque injungatur reo.

§. X.

TERTIA opinio est eorum Jctorum, qui præter semiplenam probationem adhuc plus requirunt, sive ut semiplenis probationibus adhuc alia accedant adminicula & præsumptiones: imò, ut nonnulli loqui amant, nisi *ferè* plenè sit probatum, & proximè absit à perfectâ probatione: quam sententiam præter alios Jctos nimirum ANTHON. GABRIEL. TIRAQUELL. CRAVETT. BERTAZOL. SCHURFF. FULV. PACIAN. HEIGIUM & reliquos citatos apud KLOCKIUM *Conf. 70. n. 5. Vol. 2.* defendunt



ferunt magni nominis Viri & Jurisprudentiæ lumina. HAHN. ad WESENB. *lib. 23. tit. 2. n. 5. sub fin.* STRYK. *de diff. Sponsal. Sect. 4. cap. 1. §. 13. in subjecto responsio.* FICHARDUS & plures cit. ap. BESOLDUM cit. *Conf. Tubing. 261. n. 31.* LYNKER. *Decis. 1214. ibique citat.* RICHTER. MENOCH. MASCARD. MYNSINGER. qui & eandem defendit sententiam in *Consiliis Resp. 158. n. 32.* MULLER. ad STRUV. *Exerc. 17. th. 43. lit. X. in fin.* HILLIGER. ad DONELLUM *lib. 24. c. 19. lit. y.* COVARRUV. *de Matrim. P. 1. cap. 4. §. 1. n. 8.* SETSER. *de Juram. lib. 4. c. 14. n. 12. in fin.* BRUNNEM. *in Jure Eccles. lib. 2. c. 17. n. 15. in f. Et in Decis. Cent. 3. Dec. 35. n. 5. It. Conf. 62. n. 3. & ad l. 9. ff. de Jurejur. n. 31. 32.* Quamvis etiam negari nequeat hunc ipsum BRUNNEMANNUM sibi contradicere, atque statuere, nunquam huic jurijurando locum in causis matrimonialibus esse, prout hoc manifestum est ex *ejus Commentario ad l. 31. ff. de Jurejur. n. 14.* ubi non tantum rationibus hoc firmat, sed etiam CARPZOV. *P. 1. Const. 22. def. 3. n. 3.* sibi consentientem adducit, qui tamen in *d. def. 3. & Const. 23. def. 10.* tunc temporis adhuc rigidus defensor illius opinionis erat, quod jurandum hoc in causis matrimonialibus nunquam locum habere queat: quemadmodum & *idem BRUNNEMANNUS in tract. suo de Processu for. legit. instit. cap. 23. n. 28. in fin.* sine ulla distinctione loquitur; quando dicit: hoc juramentum nec *contra* matrimonium nec *pro* matrimonio posse injungi, quia causa matrimonialis est instar criminalis, & deinde, quia causa matrimonialis non facile potest rescindi.

§. XI.

Fundamenta hujus opinionis si inquiramus, palmarium erit ex illis, quod DD. ferè communiter statuunt, in causis etiam arduis juramentum suppletorium eo casu esse defendendum,



rendum, quando *plus quam semiplenè* probatum; prout ex omnibus ferè citatis JCTis hoc apparet, ita ut hæc sententia, quantum nobis judicare datum, magis præjudicio auctoritatis & famâ defensorum æquitatis laude florentium fulciatur, quam textu aliquo, vel solidâ ratione juris: forsân etiam crediderunt, tutissimum esse mediâ incedere viâ, & temperamentum aliquod adhibere inter nimium rigorem illorum, qui hoc jusjurandum penitus excludendum arbitrantur, & nimiam facilitatem eorum, qui promiscuè in semiplena probatione illud admittunt.

S. XII.

QUARTA tandem atque ultima opinio illorum est, qui credunt *nunquam* huic jurejurando in causis matrimonialibus dandum locum, sed potius ubique plenam exigendam esse probationem, & illa quoque magnis suis non destituitur propugnatoribus: Sicut inter illos præter ingentem antiquorum JCTORUM turbam à BESOLDO in *Conf. Tubingens.* 261. n. 27 -- 30. EVERHARDO *Vol. 2. Conf.* 30. n. 31. 32. MULLER. ad STRUV. *Ex. 17. th. 43. lit. k.* & aliis citatam. BERLICHIVS *P. 1. Concl. 54. n. 14.* FABER in *Cod. lib. 4. tit. 1. def. 44. n. 5.* ibique cit. GRAMMATICUS. PERETZ. ad *Cod. lib. 4. tit. 1. n. 25.* KOPPEN *lib. 1. Obs. 32. n. 13. & seq.* hujus opinionis defensores existunt. Imo nisi omnia nos fallunt, etiam Magnus ille THOMASIVS in *annotat. ad STRAUCH. Dissert. Jur. Justin. 25. th. 31.* in hanc inclinat sententiam: Cum enim HIC, quamvis timidè atque dubitanter exceptionem adjecisset, *nisi fortè plus quam semiplene probatum:* Dn. THOMASIVS subjicit; *in his* ( sc. causis matrimonialibus) *non admittitur suppletorium, bene tamen purgatorium;* quæ nota frustranea esset, nisi dissensum suum voluisset testari. Allegantur quidem plures pro hac sententia JCTi



JCTi à BRUCKNERO *in Decif. matrim. cap. 2. §. 6. & MARTINI in Comment. For. Tit. 30. Ord. Jud. Sax. de Juram. supplet. n. 48.* fed quam parum accuratè hoc fiat, id in oculos eorum facilè potest incurrere, qui in evolvendis Auctoribus citatis, aliquam volunt impendere operam. HIC enim UMMIUM *Disp. ad Proc. 14. th. 15. n. 90.* pro hac opinione allegat, qui tamen citato loco, *tertia* antea memoratæ sententiæ subscribit, in verbis: *nec male HEIG. quæst. 19. n. 34.* tum demum illud admittit juramentum, si plus quam semiplene probatum fuerit matrimonium, aut certa alia circumstantia cum semiplenâ probatione concurrat, quæ Judicem movere possit, cur matrimonium contractum affirmanti, juramentum deferendum esse putet. ILLE vero, nimirum BRUCKNERUS, non tantum MARPURG. JCTOS *Vol. 1. Conf. 15.* pro hac opinione citat, quorum tamen mentem *supra §. 7. huj. cap.* perlustravimus, sed & BRUNNEMANNUM *in Conf. 62. n. 2.* ad has partes vult cogere, qui tamen in *cit. n. 2.* rationem dubitandi tantum refert, in *seq. vero n. 3.* suum judicium hac de re aperit, & satis declarat, quod tertiæ opinioni, abs se in aliis tractatibus propugnatæ, adhæreat.

§. XIII.

Rationes hujus opinionis si investigemus, suis illa non destituitur, iisque non contemnendis. Plerique quidem hujus sententiæ fautores provocant ad *cap. 34. X. de Jurejur.* sed ultrò dissentientibus largimur, nullum planè palladium in *illo capitulo* pro hac opinione reperiri. Ostendit quippe Dn. BOEHMERUS solidissimè in *Jure Eccles. lib. 2. tit. 24. §. 75.* quod *hoc cap. de Jurejurando suppletorio* non agat. *Scilicet asseverat* ( verbis ejus utimur ) *mulier in jure præstito juramento, virum quendam in ipsam per verba de præsentī matrimonialiter consensisse, præterea verò nullas*

D

alias



alias probationes habebat, adeoque vir absolutus dicitur. De delato hoc intelligi nequit, quia alias nulla alie probationes fuissent desiderata: multo minus de suppletotio, quod omnibus deficientibus probationibus planè deferri nequit: ergo vel de Juramento dandorum hoc intelligendum, quod tamen nullam probationem facit, vel de tali juramento, quod absque ulla delatione, contra ordinem processus, prestiterat, & se ad illud obtulerat, vel forsàn à Judice ad illud ex imperitia admisa erat. Hucusque Dn. BOEHMERUS. Cujus rationibus & illam addimus, quod in d. c. 34. Vir dicitur per sententiam ab ipsius sc. mulieris imperitione absolutus, quod non potuisset fieri, sive fuisset delatum, sive suppletorium juramentum; quia utrumque sententia non absolutoria, sed potius condemnatoria partis adversæ necessario sequitur, prout notius est, quam ut probari debeat. Sed alia adducuntur argumenta, quibus hæc sententia probabilis redditur; & quidem 1.) causas matrimoniales inter maximè arduas periculosissimas atque gravissimas referri, nisi cap. fin. X. de Procurat. in 6to. & cap. pen. X. de in integr. rest. statuerent, nisi concors omnium fere DD. calculus accederet, nisi ipsa experientia hoc posset docere, quod nimirum, ex matrimonio bene vel male contracto, dependeat totius vitæ felicitas aut infelicitas; adeo ut magnam impietatem habeat, alicui obtrudere infelix atque miserum matrimonium, & in turbas aliquem conjicere, ubi quies, individua vitæ consuetudo & consortium omnis vitæ atque fortunarum unicè quæritur & adesse debet l. 1. ff. de ritu nupt. Hinc etiam 2.) esse quod criminalibus æquiparentur, arg. cap. 1. pr. verb. illum autem spoliatum X. de restit. spol. & per tradita MEY. P. 2. Dec. 364. n. 6. & P. 3. Dec. 38. n. 2. & 3. & DD. qui de hac materia scripserunt. Licet autem Excellentissimo BOEHMERO



in *Jure Eccles. lib. 2. tit. 24. §. 75.* facile in eo accedamus, quod causa *Sponsaliorum cum Criminalibus* non recte æquiperetur in *omnibus*, & præsertim in delatione juramenti judicialis; tamen à nobis impetrare non possumus, quin credamus, causas ejusmodi pari jure, ratione saltem probationis, esse censendas, cum utraque sit gravissima, & maximum importet præjudicium; adeoque in utraque non modus probandi extraordinarius, & in arbitrium adversæ partis positus, sed potius LLbus præscriptus, & luce meridiana clarior sit adhibendus: Imo nescimus, an non cum STRYK. in *Dissert. de Semipl. prob. existentia cap. 5. §. 6.* statuere debeamus, quod majores criminalibus videantur, cum semel decollatus habeat requiem, malam vero qui semel nactus sit uxorem semper crucietur, & quasi in perpetuo degat purgatorio, imo in speluncam Leonum, Draconum & Scorpionum censeatur conjectus. SYRAC. *cap. 26. §. 10. & cap. 25. §. 23. & seqq.* Videatur ESBACH. ad CARPZ. *Prud. for. P. 1. Const. 23. def. 10. n. 12.* In causis quoque *Status 3.*) Juramento suppletorio non esse locum concors est Jctorum opinio, & illi ipsi non dissentunt, qui castra dissentientium sequuntur: in causis tamen matrimonialibus agi quasi de statu hominis, & individuam illam vitæ societatem, sive feliciter sive infeliciter jacta sit alea, speciem *servitutis* continere ipsa Jura divina statuunt, quando in *1. ad Cor. 7. §. 4.* asserunt *Virum non habere potestatem sui corporis, sed mulierem, neque mulierem habere potestatem sui corporis, sed virum.* 4.) Impositionem hujus jurisjurandi impedire *libertatem* matrimonii: hæc enim ratione Reum nolentem volentem in illud detrudi, quando ex officio judicis, invito reo, actori volenti defertur, prout hæc rationes ap. BERLICH. *P. 1. Concl. 54. n. 14. & seqq.* GAIL. *lib. 2. obs. 94. à num. 1. usque ad 9.*



BESOLD. P. 6. *Conf. Tub. 261. n. 27. & seqq.* CARPZOV. P. 1. *Const. 23. def. 10.* MARPURG. JCTOS *Vol. 1. Conf. 15. n. 340. & seqq.* possunt legi, ubique ea, quæ digito tantum indicavimus, plena manu exhibentur. Objicit quidem Dn. LUDOVICI in *der Einleitung zum Consistorial Process. cap. 15. §. 8.* ultimam à libertate matrimonii desumptam rationem planè non stringere, quia reus, si legitimis probationibus, puta duobus testibus omni exceptione majoribus, convincitur, æque cogatur ad pactam matrimonii fidem implendam, & invitus detrudatur in matrimonium: Hoc autem nemini durum videri, aut absurdum, proinde nec injustum esse, aut contra matrimonii libertatem pugnare, si juramento in supplementum victus aliquis cogatur nuptias pactas consummare. Sed, pace tanti Viri, aliquam putamus esse in utraque re diversitatem. *Illo casu* reus aliorum testimonio legitimo vincitur; *Hoc*, proprio partis adversæ jurejurando: quod utique durius est. *Illo casu* revera non cogitur, quia per litis contestationem ultro consensit, se satisfacturum judicato, si legitima probatione fuerit victus. *Hoc* vero, nunquam videtur in id consensisse, ut adversarii sui juramento, abs se non delato, in causa tanti momenti stare vel cadere debeat.

§. XIV.

Traduntur adhuc à variis JCTis variæ limitationes atque exceptiones, quarum ope rem conficere putant, quasque unico *hoc §.* brevissimis tamen, videbimus. Alii inter quos NÆVIUS *de Juram. P. 3. cap. XI. n. 12.* CARPZ. in *Proc. Jur. Saxon. tit. 12. art. 2. n. 67. & seqq.* RIES. in *Diss. Inaug. Giesse habita. De arbitr. & pot. Judicis circa juram cap. 6. §. 5.* regulam modo traditam, quod jusjurandum in supplementum pro matrimonio locum non habeat, limitant, *si pars adversa in delationem à Judice factam consenserit.*



*senferis.* Sed, superflua hanc esse limitationem, quilibet facile perspicere poterit, qui modo considerabit, tunc nullum parti præjudicium fieri, & hoc casu juramentum illud vix differre abs juramento judicialiter pro matrimonio delato, perinde enim est, ac si reus dixisset, *Maritus tuus esse volo, si juraveris.* Alii regulam modo dictam tunc demum admittunt, quando vel semiplena vel plusquam semiplena probatio, *contrariis presumptionibus vel probationibus non fuit elisa*, ut FRANTZK. *de Jurejur.* num. 137. LYNCKER. *Dec. 7. in med.* BESOLD. *cit. Consil. 261. n. 23. & 36.* FABER *in Cod. lib. 4. tit. 1. def. 18.* Sed velle-  
 mus scire ab illis, an probationes semiplenæ aut plusquam semiplenæ vocari mereantur, quæ contrariis probationibus franguntur, contrariis præsumptionibus eliduntur? Quicquid enim per reprobationem defendenti parti accre-  
 scit, id probationi agentis partis haud dubiè decedere debet. Alii putant, semper *ubi Judex dubius est, an suppletorium juramentum aëtrici, purgatorium verò reo sit deferendum*, illum debere tunc suppletorium pro matrimonio in-  
 jungere; prout judicat EVERHARD. *Vol. 2. Conf. 30. n. ult.* quia enim (ita argumentatur) in dubio judicandum est pro matrimonio *e. f. X. de re jud. cap. 2. X. de constit. in 6.* SOCIN. JUN. *Vol. 3. Conf. 88. n. 5. 31. 32.* PARIS. *Vol. 4. Conf. 54. n. 3. & 32.* in dubio etiam juramentum deferen-  
 dum videri ei, qui stat pro matrimonio; Etenim qui vult consequens vult etiam antecedens, & tolerabilius est, aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare *cap. 47. X. de Testibus & attest.* Sed quàm parùm ad rhombum al-  
 legentur textus juris Canonici, hoc patere potest, vel in-  
 tuentibus illos, & quàm aperte hoc ratiocinium innitatur principiis Pontificiis, quasi matrimonium esset Sacramen-  
 tum;





tum, adeoque rem summo favore dignam, omnique modo promovendam, nemo ignorare potest, nisi cui eorum dogmata sunt ignota. Eleganter enim ad hanc materiam MEVIUS ad *Jus Lubec. P. 1. tit. 4. art. 3. n. 9. & seqq.* monet, hoc dogma cum grano salis esse accipiendum: eo abuti JCTos, si velint pro matrimonio pronunciare, ubi de ejus substantialibus apertè non constet, ubi rationes adfint, cur impediri magis, quam promoveri debeat conjunctio, nempe futura infelix, scandalosa, & semper disscors: non minus enim peccatum est jungere non jungendos, quàm separare benè junctos. *cap. 6. X. de probat.* Ut jam omittamus, rei partes in dubio majorem habere favorem *l. 125. ff. de R. 7.* ALCIAT. *de Presumpt. reg. 3. n. 44.* LYNCKER. *Dec. 1214. n. 5.* Alii distinguunt inter sponsalia *clandestina & publica*, & in *illis* majorem atque plenissimam probationem requirunt, tanquam in odiosis, & ubi actori imputari possit, quod testes non adhibuerit; Jura-mentum enim illi deferri non posse, qui potuit plene probare, & negligens fuerit; Clandestina quippe sponsalia non carere suspitione atque dolo, ex quo nemo juvari debeat. In *his* vero non adeo amplam aut plenissimam requirunt probationem: in quorum numero sunt BESOLDUS *Conf. Tubing. 261. n. 32.* EVERHARD. *d. Conf. 30. n. 21.* MASCARD. *de Probat. l. 2. Concl. 1026. n. 4.* MASPURG. *JCTI Vol. 1. Conf. 15. n. 345.* ibique citatus GRAVATIUS. Imo ALBER. GENTILIS *de Nuptiis lib. 7. cap. 6. lit. f.* hoc eousque extendit, ut in probandis sponsalibus clandestinis duos testes omni exceptione majores non sufficere credat, sed tres ad minimum requirat. Sed differentiam illam in modo probandi quoque non agnoscimus. Sponsalia enim clandestina (per quæ intelligimus non illa, quæ ob defectum consensus paterni ita dicuntur,

hac



hæc enim omni Jure illicita sunt, & hinc obligandi vim habere nequeunt; sed illa, quæ inter personas habiles, remotis testibus, clam sunt contracta.) si jus naturæ, divinum & Civile respiciamus, pariter obligant quam publica, cum modus declarandi consensum sponsalitiæ per ea jura non sit determinatus, nec ullo Jure hoc sponsaliorum genus interdictum: proinde pari quoque ratione probationis Jure gaudere debent. In illis verò locis ubi hæc sponsalia clandestina sunt prohibita, quemadmodum ex rationibus, quas suggerit Dn. STRYK. *de dissens. Sponsal. Sect. 1. §. 36.* Principes & summi in Republica Magistratus facere possunt, & rectè faciunt. ibi per hoc omnem obligandi efficaciam, quam per se habebant, amiserunt, adeoque nec vinculum aliquod inducunt, licet vel 10. testibus probari queant *arg. l. 5. C. de LLbus.*

§. XV.

Ut denique etiam in tanto dissentientium JCorum conflictu, nostram sententiam aperiamus; Optandum utique esset, ut in omnibus omnino provinciis, justissima illa **CONSTITUTIO GOTHANA**, quam refert BRUCKNERUS *in Decis. Jur. matrim. cap. 2. n. 7.* reciperetur, subditis inculcaretur, & quotannis ex suggestibus Ecclesiasticis populo publicè prælegeretur, qua dispositum est, ut omnia sponsalia, præsentibus testibus fide dignis, ad minimum duobus, (*sc. præter personas principales, earumque Parentes*) celebrentur, aut, si hoc neglectum, & postea ab uno contrahentium sponsalia fuerint negata, ad evitanda perjuria, neutri partium, nec judiciale nec necessarium deferatur, sed Reus, promissionem matrimonialem negans, propter defectum probationis ab actione matrimoniali, contra ipsum instituta, absolvatur. Hac enim unica ratione obviam ire possumus omnibus priorum sibi invicem

cem



cem adversantium opinionum difficultatibus. Hac via metus perjurii tolleretur, & Consistoria Ecclesiastica non tot fatigaretur disceptationibus, nec etiam nostra differentio hanc sibi materiam legisset, aut in præsentem excrescere potuisset molem: Tunc enim rarior, & forsitan unico casu quæstio hæc in controversiam venire posset, nimirum, *si unus ex illis testibus mortuus esset*. Sed quamdiu in effectum non deducuntur hæc vota, Nos credimus distinctione quadam hunc nodum secandum esse; nimirum an de *sola promissione matrimonii* quæstio sit; an verò præterea etiam *imprægnatio* accesserit, & vitiata ad consummationem matrimonii agat. *Primo casu* accedimus sententiæ illorum, qui *nunquam* huic juramento in probatione sponsaliorum dant locum, propter rationes *præc. §. 13.* propositas, & quia parti sponsalia neganti, maximum damnum ex condemnatione, nullum vero parti matrimonium urgenti præjudicium ex absoluteione, & quando res in suo manet statu creatur; illaque potius sibi imputare debeat, quod rem tanti momenti adeo negligenter tractaverit, & testes sufficientes adhibere, aut instrumenta legitima conficere omiserit.

§. XVI.

*Secundo vero casu*, quando imprægnatio accessit, & virgo, cui vitium est oblatum, ad consummationem matrimonii agit, tunc iterum distinguendum est, an Reus vel *fateatur* stuprum vel *non fateatur*. *Si non fateatur*, Aëtrix illud ordinario modo probare debet, quâ de re videatur BERLICH. P. 5. *Concl. 38. n. 49. & seq.* Si vero Reus *fateatur stuprum*, neget vero promissionem matrimonialem, rursus distinguimus, an aëtrix hujus datæ fidei, nullos plane habeat testes, nulla ostendere possit indicia, nullas adferre posset præsumptiones, & nequidem tunc juramento  
purga-



purgatorio locus erit. PHILIPPI *ad Decif. Sax. 81. obj. 1.*  
 LAUTERB. *de Juram. §. 3. n. 58.* licet dissentiant, & il-  
 lud juramentum injungant BEUSTIUS *lib. 1. de spons. c.*  
 47. BERLICH. *cit. concl. 38. n. 86.* eamque sententiam fe-  
 quantur Collegia *tenense.* RICHTER *P. 1. Dec. 8. n. 89.*  
 & *seqq. Francofurtense.* BRUNNEM. *in Jure Eccles. c. 5. §.*  
 8. *Vismariense.* MEV. *P. 3. Dec. 73.* It. CARPZOV. *P. 1.*  
*Const. 22. def. 4. & 5.* sibi tamen contrarius *in Jprud. Con-*  
*sist. lib. 3. def. 47. n. 3.*; aut minorem semiplenâ probatio-  
 nem actrix afferat, & tunc vix est ut judex ulterius pro-  
 gredi possit, quam ut reo Juramentum injungat purgato-  
 rium BRUCKNER. *Decif. matrim. cap. 2. §. 5.* HAHN.  
*ad tit. de spons. n. 3. sub fin. ibique cit. DD.* Si vero talis  
 actrix, præter confessionem stupratoris, de injuria per stu-  
 prum sibi illata, plus quàm semiplenè, vel etiam tantum  
 semiplenè probare possit promissionem matrimonialem,  
 credimus, Juramento suppletorio locum dare posse Judi-  
 cem. Et hac ratione ferè omnium supra citatorum JCro-  
 rum tollitur dissensus: Aliis enim durum visum, cogere  
 quasi ad matrimonium eos, inter quos nulla copula inter-  
 cessit, & illi argumenta studiose excogitarunt, atque sol-  
 licitè quæsierunt, quò id prohiberent, adeoque hoc ju-  
 ramentum nunquam admittere voluerunt. Aliis verò ni-  
 mis rigidè visum tantam injuriam vitiatæ inferre, ut causâ  
 cadere debeat propter hoc solum, quod aliquid plenæ pro-  
 bationi defuerit, adeoque sub limitatione, si semiplenè  
 aut plusquam semiplenè probatum, illud admiserunt. Pro-  
 ut ex locis ipsis, si quis in evolvendis istis curam ponere  
 velit, & facti speciebus, ad quas consilia sua juridica de-  
 derunt, facile quis perspicere potest.

§. XVII.

Non desunt etiam rationes atque argumenta, prout  
 E nobis



nobis videntur, satis solida, quæ hanc distinctionem sua-  
deant, quæque evincunt, differentiam inter illos casus  
esse maximam; *Primo* enim casu, ut supra jam ostendimus,  
vix damnum aut præjudicium aliquod parti, contra quam  
pronunciatur, contingit, sed res manet in pristino suo sta-  
tu, nisi actor intentionem suam plenè probaverit. Et hæc  
esse videtur causa, quare tam rarè ejusmodi casus ad Con-  
sistoria Ecclesiastica deferantur; tantum enim abest, ut  
quis consideratus homo atque prudens, quando ad pro-  
bandum non satis est instructus, ad Judices velit convo-  
lare, ut potius illi, qui & plenè probare sponsalia queant,  
horreant ejusmodi lites, & malint Deo, ultori fidei datæ  
sed fractæ, rem committere, quam partem adversam in-  
vitam sibi jungere, & suo quasi juramento rem sibi malam  
accersere. Econtrario, si *secundum* casum consideremus,  
*quando imprægnatio accessit*: Quantæ malorum catervæ  
deceptam ætricem comitantur? quot incommoda illam  
circumsistunt? Virginitas semel erepta restitui nequit, fa-  
mæ non mediocrem jacturam facit; ac proinde extra con-  
jugii ulterioris spem ponitur, illa potissimum, cui virgini-  
tas pro dote est. Divites enim & potentes non habent,  
quod sibi metuant, cum ultro petantur, non verò mari-  
tos in judicio petant. Partui porro maximum crearetur  
præjudicium, nisi per consummationem matrimonii legiti-  
maretur. Accedit, quod virgo seducta credatur à Viro,  
qui illam stupravit. KLOCK. *Vol. 2. Conf. 79. n. 96.* MAN-  
TICA *lib. 2. de Conject. ult. Vol. tit. 12. n. 29.* BERGER  
*in Resol. LL. lib. 12. tit. 2. p. m. 191. n. 4.* Præsertim quando  
æqualis personarum conditio, integritas morum ipsius vi-  
tiate, mores dissoluti stupratoris, vel aliæ circumstantiæ  
adsunt, ex quibus præsumendum, eam minimè stupratori  
concessisse florem virginitatis decerpere, nisi fidem de ma-  
trimonio



rimonio dedisset. Ut jam non dicamus, quod Deus, Sapientissimus ille Legislator, EXOD. 22. v. 16. DEUTER. 22. v. 28. 29. populo Judaico positivam legem dederit, ut stuprator mulierem stupratam & dotare & ducere debeat, sive promiserit matrimonium, sive non; quæ lex in Jure Can. cap. 1. X. de adult. & stuprat. repetita est. Et proinde nemo Jctis vitio vertere poterit, si concurrentibus his circumstantiis singularibus, ad evitanda majora incommoda, & reparandum damnum, quod obtigit vitiatæ, à via ordinaria & regulis communibus recedant, ipsique matrimonium promissum semiplenè probanti, per injunctum jusjurandum suppletorium subveniant.

§. XVIII.

Fatendum quidem, quod jam olim Comicus inter vitia mulierum posuerit *audacter* jurare, & quod Thales Philosophus suo jam tempore crediderit (prout LAERTIUS in ejus vita, & ex eo BESOLD. P. 5. Conf. 244. n. ult. memorat) Stuprum pati & dejerare non adeò difforme esse, & quæ unum delictum perpetrat, ad aliud etiam pervenire posse; Quodque etiam non ita pridem CYPRÆUS de Sponsal. c. 14. n. 19. & CHRISTENIUS in Dissert. 1. de Sponsal. quest. 25. p. m. 88. fluctus hîc moveant, & defendere conentur, quod juramentum suppletorium vitiatæ, etiam semiplenè probanti, deferri nequeat, quasi mulier ista sit infamis, cui non credendum. Sed fatendum est quoque, HAHN. ad WESENB. iir. de Sponsal. n. 3. sub fin. fluctus ejusmodi compefcuisse, ostendendo, quod infamia, quâ illæ mulieres in jure nostro, l. 43. §. 1. & 4. de R. N. notantur, quæ palam corpore quæstum faciunt, & similes Quartillæ Petronianæ, pessimè applicetur Amasiæ: quod vitiator huic non possit objicere infamiam, quia in paricum eâ est culpâ. Vid. CARPZOV. in jurispr. for. P. 2.



*cap. 6. def. 14. n. 5. & seqq.* Quodque nulla solida ratio dari possit, quare vitata hæc excludenda sit abs suppletorio, cum tamen vitiator indistinctè ad purgatorium admittatur juramentum. Imò satis apparet præjudiciis Facultatis *Helmstadiensis & Francofurtensis* ostendisse supra cit. HAHNIUM, quod hæc sententia nostra in praxi sit recepta: Cui etiam accedunt Dn. LYNKER. *Decisf. 437. 459. & 647.* & Dn. BOEHMER. *in Jure Eccles. lib. 2. tit. 24. §. 77.* Conf. Dn. STRYK. *in tract. de Cautelis Juramentorum P. 2. Sect. 2. n. 123. 124.*

§. XIX.

Filium dissertationis nos quidem jam eo ducit, ut argumentis dissentientium, *supra §. 7. 9. 11. memoratis*, respondeamus. Sed quemadmodum illorum opinio, quæ omnia in *arbitrium judicis* conjicit, nostræ sententiæ planè non obstat, sed potius amicè cum illa conspirat. Ita illis, quæ adferuntur pro *secunda* opinione, quod, *semiplena facta probatione*, hoc jusjurandum *simpliciter* sit admittendum, plenissimè satisfecit BRUNNEM. *Consil. 62. n. 4. & 5.* pro ut & idolum illud favoris pro matrimonio, quod tot montrosas in hac materia peperit opiniones, rectè destruit HARPRECHT *ad rubr. tit. Inst. de Nupt. n. 209. 210.* quando inquit: Favor matrimonii in eo non consistit, ut statim *pro eo* pronuncietur, & invitè, reluctantes & impares sæpe jungantur, ubi aliàs legitimus consensus & contractus ipsius matrimonii negatur, vel elare aut sufficienter non probatur. Nam ex tali violenta conjunctione, devastatio potius matrimoniorum, ut ipsa docet experientia, quam conjugalis concordia & dilectio sequitur. *Tertia* opinio, quæ requirit ut *plius quàm semiplenè probatum sit*, subsistere quidem poterit, nec nobis adversatur, modo sub illa distinctione, quam §. 16. proposuimus, intelligatur,  
 quor-



quorum etiam illius defensores ipsi inclinant.

S. XX.

Animum quidem nostrum induxeramus, adhuc in Cap. III. agere de ipsa *semiplena probatione in causis matrimonialibus*, quænam probationes eam perficiant, quibus præsumptionibus juvetur, quibus destruetur. An? & quomodo imperfectæ probationes jungantur, quinam testes habiles, quinam sint inhabiles, quænam sint requisita in persona jurantis, ut sine periculo perjurii ipsi juramentum illud deferri queat, & quæ alia ad hanc materiam pertineant. Sed cancellis, quibus circumscribuntur hæ Dissertationes Inaugurales, prohibemur, qua propter ea commodiori occasione, Deo vitam viresque conservante, reservamus. Tu interim, Benevole Lector his nostris conatibus fave atque frue.

S. D. G.

---

## COROLLARIA.

I.

**M**atrimonium metu contractum est ipso Jure invalidum.

II.

Ob adulterium, etiam præsumptivè probatum, divorcium decerni potest.

III.

Separatio quoad thorum & mensam est merum inventum Pontificiorum.

IV.



IV.

*Neque Juri Divino convenit.*

V.

*Pactum, quo sponsus futuræ uxori imperium promittit, ( vulgo das die Frau den Huth haben soll ) maritus non tenetur implere.*

VI.

*Legatorum personæ sunt sanctæ, possunt tamen puniri ex delicto à Principe ad quem missi sunt.*

VII.

*Beneficium l. 8. C. de revoc. don. generale est, & in quovis donatore ac donatorio locum habet.*

VIII.

*Fur rupto laqueo in continenti suspendendus est.*

IX.

*Pœna suspendii est justa.*

X.

*Testis ultro se offerens pro suspecto habetur.*

XI.

*Judei contra Christianos testes habiles esse nequeunt.*

XII.

*Fides perfidis servanda est.*

F I N I S.



**F**LOS Juvenum, SUMMIQUE Tui, spes prima PARENTIS,  
 DÜSINGI, Themidos, Pieridumque decus.  
 Quos Tibi, pro meritis, dabimus DOCTORIS Honores,  
 Sunt merus Titulus, prætereaque nihil.  
 Nec tradi majus poterat, Tibi scilicet unus  
 Decrat adhuc Titulus, prætereaque nihil.  
 Gratulor ergo Tibi, non tam DOCTORIS Honores,  
 Quam potius, miras mentis & oris opes.  
 Quam potius, coeleste suis velocius annis  
 Ingenium, prompti Judicii que decus.  
 Quam potius, dulci saturatos nectare mores,  
 Vastæque & solidæ cognitionis opes.  
 Testis adest, niveo quæ Te splendore corona  
 Cingit, & hoc unum clamitat: Euge! Bene!  
 Testis adest, præsens victura in secula charta,  
 Nomina quæ spondet non moritura Tibi.  
 Testis adest, *Lanus*, *Rhenus* pater, atque *Visurgis*,  
 Virtutes omnis Musa Tuas celebrat.  
 Sic multa accedat celeri Tibi Gloria passu,  
 Et Tibi causa novi gliscat Honoris, Honos.  
 Sic quoque cara, Tuis, sic Patria læta, Tropæis,  
 Expectet Tituli, commoda larga Tui.

*Nobilissimo Dn. CANDIDATO,  
 Cognato suo per dilecto, gratu-  
 labundus accinebar*

DANIEL GERDES SS. Th.  
 & Hist. Eccles. Doct. & Prof.  
 Ordin. & h. t. Facult. Theol.  
 Decanus.

*Nobi-*



*Nobilissimo & Doctissimo*

DN. D I D E R I C O  
D Ü S I N G I O

Supremos in utroque Jure honores  
rite legitimeque capeffenti

E L E G I A.

**D**Iva nitens quondam flavis Astræa capillis  
Coetibus humanis associata fuit;  
Inter & errantes passim sine lege choreas  
Ibat, adhuc nullâ suspicione satâ.  
Fucus erat nullus; sine pyxide munda supellex;  
Nec Crocodilino stercore picta gena:  
Nulla coloratis inerant ludibria verbis.  
Spirabant oculi, vultus & ipse fidem.  
Illius auspicio non limine pulsa superbo  
Horrebat Procerum plebs tunicata minas.  
Intemerata fides & pectore candor aperto,  
Et Pudor & nivæ simplicitatis Amor,  
Junctaque Candori socio Prudentia mentis  
Divinæ testes & sapientis erant.  
Pauperis ingenii comitatu fraudis amici  
Nec species usquam, nec color ullus erat.  
Omnia cum nosset, solas cognoscere fraudes  
Virginis impatiens & rude pectus erat;

Quando



Quando tot ingenio, tot mente, tot indole sacra,  
 Tot Jove, tot caelo digna scienda forent.  
 Vifa tamen subitò non amplius; arida passim,  
 Dum rident homines, per loca pallor erat.  
 Ipsæ etiam valles, ipsum nemus, ipsa gemebant  
 Antra, dabant rupes muta que laxa sonum.  
 Fugerat, ut referunt, maculatas crimine terras,  
 Inque polum bigas flexerat orta polo.  
 Sic iit in caelum. Quid enim deserta petisset?  
 Desertis etiam jam prope nulla fides.  
 Dixerat at cuidam (mihi rettulit ille Thalia  
 Auspice) consueta verba suprema fide:  
 Orbe fui præsens, Vitii dum nomine Virtus,  
 Virtutis Vitium non venit, orbe fui.  
 Frater uti fratri, civis per moenia civi,  
 Sic homini consors quisque manebat homo:  
 Non Leo Gætulus coelestis originis expers,  
 Tigris Achæmenio non male pasta jugo.  
 Crinibus arreptis me turba famelica raptet?  
 Virginitas spoliū nostra latronis erit:  
 Nunc quia mutantur mores, mutantur & artes,  
 Mille mali species mille levabo modis.  
 Linquimus has terras odio non gentis iniquo;  
 Execror hos mores, mentis origo placet.  
 Sunt homines, homines superàm de semine creti;  
 Me fugiente, tamen cura superstes erit.  
 Ipsa Sacerdotes statuam Dea juris & æqui,  
 Humanæ nimium fortis acerba dolens.  
 Hoc tamen admoneo, solvi caligine rerum,  
 Et magna nebulas rumpere mente queant.  
 Nil metuant quicquam, cupiant nihil; illico Reges,  
 Si quid & est majus, teste vocabo Deo.

F

Adspicis



Adspicis eximiâ quam primus origine factus  
 Myſta ſit, & legum juſtitiaëque ſagax,  
 Conſcie DUSINGI pulchræ tibi Laudis & Artis.  
 Hoc decus, has aras non pede legnis adi.  
 Non opus exemplis. PATER eſt tibi juris & idem  
 Cultor Hyantæi maximus ille chori.  
 Quo Romana ſibi, quo judice Graja Veruſtas,  
 Et ſimul Aonidum cauſa placere queat.  
 Te Pater Æneas, & Avunculus excitet Heſtor,  
 Si licet Andiuo more modoque loqui,  
 Sic tibi populeam non indignante coronam  
 Alcida, ſarto juris honore, leges;  
 Sic tibi præſidio miſerorum civica junget  
 Præmia magnifico quercus amata Jovi.  
 Sic dabit ampla Themis, Themidisque pediffequa Laurus  
 Per caput & crines ibit, eatque, tuos.

L. M. 2.

JOH. HILDEBR. WITHOFIUS,  
 Hiſtor. Eloquent. & Græc. Ling.  
 Profeſſ. Ordinar.

**S**iccine doctri-næ pulcherrima carbaſa pandis  
 Ad Cauchos remeans navigerumque ſitum?  
 Sicne Caballino de fonte ſitimque levaffe  
 Monſtras, ac ſamæ velificare tuæ.  
 DÜSINGI? caput egregium, varia arte politum  
 Et plenum juris cognitione ſacri!  
 Fac cinnis alios, tetanothra auroque nitere,  
 Natura tutulus fulget & arte tuus.

Quis



Quis vero furor est Hymenæos pascere ad actus  
 Diras Prætoris iudicique minas?  
 Da veniam! Sponsus si vincula prima resolvit  
 Zonæ, conjugii se facit ille reum:  
 Libatoque semel modo virginitatis honore,  
 Non juramento conciliatur honos.  
 Promissi vel jura thori sin abnuat actor,  
 Vel temerata dolis solvere vincla petat:  
 Hoc Tecum schola docta negat, sedesque forensis,  
 Ardua solvendi crimina quamvis habet.  
 At si pars plusquam semiplene una probavit,  
 Aut vir contempsit, fœmina sive rea;  
 Jurando læsæ fit plena probatio parti,  
 Et Judex supplet quod sine teste fugit.  
 Hinc ZAUNSCHLIFFERUS tua cingere tempora lauro,  
 Ingeniique parat læta tropæa tui.  
 Ergo canam calathis bis, ter Tua Nomina plenis,  
 Et referam VIVAS! gutture hiantè diu.

*Cum Viro Nobilissimo Doctissimoque  
 Dn. D. DÜSINGIO Honores Do-  
 ctoriales in Celeberr. Universitate  
 Duisburgensi decernendi essent,  
 applausum hunc Bremâ transmisit*

N. EGGERS J. U. D.

**D**Um Tibi supremos tribuit nunc Laurus honores,  
 Et Themis insigni virtutem nomine pensat,  
 Quale Tuum meruit studium, Tua cura laborque  
**FRATER** amande mihi, saliant præcordia nobis

Lætitia



Latitia penitus, dignoque impulsus honore  
 Gestit ovans animus. Faxint coelestia, quæso  
 Sidera, successu procedant omnia læto,  
 Nullaque perturbent tam claram nubila lucem.  
 Patria Te Nato latetur nostra, Paterque  
 Totaque nostra Domus: Miseris sis portus & ara  
 Præsidiumque reis, facto bonus, utilis omni.  
 Applaudantque Tibi Doctorum corda virorum  
 Legiferumque forum, subsellia cuncta, tribunal,  
 Porticus, & quicquid leges audire paratum est.  
 Sic precor, adspirent tantis bona Numina cœptis.

*Sic Frater Fratris*

HENRICUS DÜSING.

J. U. C.

N. EGGER J. U. D.











ULB Halle

3

001 596 608



V017











DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE QUÆSTIONE  
QUATENUS JUSJU-  
RANDUM IN SUPPLE-  
MENTUM LOCUM  
HABEAT IN CAUSIS  
MATRIMONIALIBUS,

Quam  
AUSPICE SUMMO NUMINE

Ex

AUCTORITATE ET DECRETO  
MAGNIFICI ET AMPLISSIMI  
JCTORUM ORDINIS

In Illustri Regia quæ Duisburgi Clivorum  
est Academia,

Pro Doctoratus Laureâ, & Summis in Utroque Jure  
Privilegiis solenniter obtinendis

*In Auditorio majori ad diem 24. Junii horis consuetis  
Publice tubitur*

DIDERICUS DÜSING  
BREM A - SAXO.

DUISBURGI AD RHENUM,  
Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi,  
Anno MDCCXXVIII.

(Diss. XVIII B)